Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1347
Quelle:
Copyright:

μα Joh. Fabri Epiſcopi *Vien.* ut patet e *Formula* Donationis a. 1540. *Codici* anterius et poſterius adſcripta, de qua non ſemel jam mentionem fecimus. Inſunt vero *Codici* huic ſequentia: I. Epiſtola inſcripta: *De antichriſto quomodo naſci debeat.* Ejus initium: *Heriberto Colonienſi epiſcopo Albuinus ſuorum omnium ſeruorum ultimus. gratiam et pacem ſempiternam. Ex quo domine pater miſericordie ueſtre gratiam promerui* &c. Opuſculum iſtud inter *Auguſtini*, *Alcuini* et *Rabani* Scripta olim editum ne quidem ad *Albuinum*, quem hic praefert, pertinet; *Heribertus* enim, ad quem mitti dicitur, ad Infulas *Colonienſes* anno primum 999. evectus eſt, cum interea reperta et a *Duchesnio* T. II. *Script. Hiſt. Franc.* p. 844. edita ſit alia ei praefixa Dedicatoria *Adſonis* Monachi *Luxov.* et deinceps Abbatis *Dervenſis* ad *Gerbergam Ludovici* dicti *Transmarini* Regis *Galliae* Conjugem, vivo etiamnum Marito, qui a. 954. obiit, exarata. Itaque *Albuinus* noſter plagiarius et non niſi *Adſonis* breviator fuit, ut videre eſt, in edit. *Opp. Alcuini Ratisb.* 1777. T. II. *Vol.* 2. p. 526. ubi plures etiam *Codices* indicantur, in quibus Libellus *Albuino* ſive *Albino*, ut in Noſtro, adtribuitur, unde per errorem ad *Alcuinum* tranſiit. Fuit vero *Albuinus* iſte Monachus et Recluſus Coenobii *Gorzienſis* in agro *Metenſi*, de quo plura in *Hiſt. liter. Franciae* T. VI. p. 553. quo remittimus.

II. *fol.* 8. litera quadra miniata: *In Nomine. Domini. Incipit. Liber. Prognoſticorum. Futuri. Seculi. Dalio.* (Idalio) *Barchinonenſis. Sedis. Epiſcopo. Julianus. Toletanenſis. Sedis. Epiſcopus.* Initium: *Diem illum clara Redemptoris omnium exceptione conſpicuum* &c. Obiit *Idalius* a. 690. uti et *Julianus* noſter perperam a quibusdam dictus *Pomerius*, de quo adi *Ceillerii Hiſt. des Auteurs ſacr.* T. XVII. p. 733. et *Henr. Florez Eſpanna ſagr.* T. V. p. 295. Praeſens ejus Opus in *Libros* III. tributum primus e *Cod.* Coenobii *Miſnenſis Veteris Cellae* edidit *Lipſiae* 1536. 4. *Joh. Cochlaeus*, et emendatius quidem, quam deinceps in *Bibliothecis PP.* puta *Lugd.* T. XII. p. 590. comparuit. In *Codice* porro noſtro ſic habet: *Prologum* ſupra indicatum excipit Autoris *Oratio: Deſertum Idumeę cecus et morbidus poſſeſſor* &c. Orationem Elenchus *Capitum* XXII. ut in edit. *Lipſ.* cum in *Bibl. PP.* Caput 12. et 13. in unum contracta ſint. Elenchum ipſe *Liber* I. inſcriptus de *Origine Mortis humanę.* Ita et reliquos duos *Libros* Elenchi praecedunt, et *Secundus* quidem cenſet Capita XXXVII. quorum 36. et 37. in edit. *Lipſ.* coaluere; *Tertius* vero ubique LXII. Titulus L. II. eſt: *De Animabus defunctorum quomodo habeantur ante ultimam corporum reſurrectionem*, et L. III. *De ultima corporum reſurrectione.* Clauſula Operis miniata, ut omnes Inſcriptiones: *Finit.*